

Band IX., Nr. 4064, Seite 415-416

*Graf Rudolf von Montfort beurkundet seine Abmachung mit Kloster
Weingarten wegen der Vogtei in Seibranz.*

Schloss Zeil, 1291. Januar 5.

Nos Rudolfus de Monte Forti comes tenore presentium protestamur et constare volumus presentium inspectoribus universis, quod cum venerabili domino . . . abbate totoque conventu monasterii in Wingartun ordinis sancti Benedicti Constantiensis dyocesis super universis controversiis et questionibus inter nos hucusque motis et habitis deliberatione prehabita diligenti ad plenam amicabilem compositionem unionem et perfectam concordiam per omnia rediimus et convenimus in hunc modum, ita quod abbas et conventus prenotati advocatiam in monte qui Sigbrantsberch dicitur cum usufructibus exinde percipiendis tamdiu pleno dominio quiete possideant, quousque ipsis quadraginta marcas argenti ponderis Constantiensis, pro quibus eadem advocatia predictis abbati et conventui per strenuum virum dominum C. pincernam de Wintersteten extiterat obligata, persolverimus integraliter et perfecte. Item profitemur nos prelibatis abbati et conventui in quinque marcis argenti pro recompensa et solutione iuris mortuarii, quod ipsis in dicta advocatia per officiales nostros ablatum extiterat, fore civiliter obligatos, quas quidem quadraginta et quinque marcas argenti prescriptas cum nos vel nostri heredes sepefatis abbati et conventui de Vineis persolverimus, eadem advocatia in Sigbrantsberge cum universis iuribus usufructibus ad nos vel nostros heredes eo iure, quo ipsam a predicto domino C. pincerna de Winterstetun comparavimus, perfecte et libere revertetur. Addictum est etiam, quod et sollempni stipulatione deducta promittimus, quod sepefatus abbas et conventus per nos aut nostros heredes aut successores legitimos non debent de fructibus de ipsa advocatia perceptis conveniri foro ecclesiastico vel civili, quippe cum fructus usque ad terminum solutionis exinde percepti in sortem non debeant aliquo modo computari. Solvenda namque erit prout compositio intercessit hec predicta pecunia de proprio non de alieno, ne quod nostris usibus videretur esse subtractum exactoris alterius gravibus dampnis lederetur. Item homines ipsi advocatie pertinentes ubicunque locorum se receperint ab omni exactione liberos esse volumus et immunes, ita quod tam de ipsis hominibus quam etiam de tota advocatia predicta collectas st̄ras exactiones aut alia servitia quecumque ante exhibitam solutionem vel nos vel aliquis nostro nomine exigere aliquo modo audeat vel presumat.¹ Postquam autem predicta XLV marcarum solutio per nos vel

¹In dem Satz fehlt eine Negation.

II

per nostros heredes prelibatis abbati et conventui plenarie fuerit exhibita, extunc in IIII viros idoneos tanquam in arbitros pars utraque compromittet, qui de fructibus per nos in ipsa advocatia a tempore emptionis vel ad tempus exhibite solutionis minus rationabiliter perceptis satisfactione amicabile compositionem inter nos ordinent et procurent. Testes autem huius rei sunt: H. de Altmanshoven, Burc. vom Grozzeltz, Ul. de Twingenstein, Bert. Surio, F. dictus Zūzel, H. dictus Ruhe, H. de Lindow, H. Hellar, H. Angelus, Herm. Clokkar et alii quam plures fide digni.

 Datum in castro Zil, anno domini MCCLXXXI., in vigilia epiphanie, indictione IIII.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Siegel abgegangen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

B 123 U 931

Regesten:

Chartularium Sangallense, Bd. 4, S. 368, Nr. 2257.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Schloss Zeil

Ortsindex:

Altmannshofen Wohnplatz (18592)
 Altmannshofen, Aichstetten, RV
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Lindau, LI
 Montfort, Götzis, Vorarlberg, Österreich
 Schloss Zeil : Reichenhofen, Leutkirch im Allgäu RV
 Schloss Zeil Wohnplatz (19930)
 Seibranz Wohnplatz (19090)
 Seibranz, Bad Wurzach, RV
 Weingarten Wohnplatz (20565)
 Weingarten, RV
 Winterstettenstadt : Ingoldingen BC
 Winterstettenstadt Wohnplatz (17302)
 Zwingenstein (Burg), Au SG, Kt. St. Gallen, Schweiz, W